

inhæſionis, hoc denominationis. Quid a. Subjectum inhæſionis aut denominationis ſit, ex Metaphyſicis cognoſcere licet. *Scheiblerus lib. 1. Metaph. c. 23. n. 104. p. 260.* affirmat, inhæſionem ſignificare illam informationem, qua aliquod adjunctum ſuum ſubjectum afficit ab intra, ſive per introreceptionem in Subjectum. Sic v. gr. anima humana eſt Subjectum inhæſionis reſpectu eruditionis, virtutum, vitiorum, &c. Nam eruditio, virtutes, vitia afficiunt hoc Subjectum ab intra. Pari modo Magiſtratus eſt Subjectum inhæſionis reſpectu Majeſtatis, quippe quæ Magiſtratum afficit ab intra. Magiſtratus enim intra ſe recipit Majeſtatem. Contra; Subjectum denominationis *Magnific. Dn. Scherzero, Præceptoris meo longè honoratiſſimo, in part. II. Manual. Philoſ. p. 304. & ſeq.* eſt, quod ab aliqua forma denominatur. Dicitur id aliàs etiam denominatum. Jam applico: Civitas eſt denominatum ſeu Subjectum denominationis, Magiſtratus inhæſionis; haud aliter ac oculus eſt illud Subjectum, cui adæquatè inhæret viſio; totum autem animal ab hac videns denominatur. *Vid. H. Grot. L. 1. de J. B. & P. cap. 3. §. 7.*

VII. Exindè verò datur intelligi, quàm diverſa ſit Ariſtotelis ſententia, planè ſana, ab hâc hæreſi. Ille enim unicum ſtatuit Subjectum inhæſionis; hæc duo fingit, monſtroſè duas Majeſtates in ſe habentia.

IX. Ne verò quid abſurditatis deſit, utramquæ hanc Majeſtatem tam perſonalem, quàm realem dicunt uno eodemque tempore in una eademque Repub. concurrere ſic, ut Realis ſit potentior perſonali. Verùm quid de eorum argumentis ſit judicandum, mox videbimus.

IX. Hoc certò certius eſt, duo abſurda ex hâc hypothèſi fluere. ^{Ejus} 1.) enim notum eſt, Majeſtatem eſſe poteſtatem ſummam, ſecundum *Ariſtot. L. 3. Polit. 4. cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius voluntatis humana arbitrio irriti poſſint reddi, teſte Grot. Lib. I. de J. B. & P. c. 3. §. 7.* quæquæ ideò nec majore poteſtate (ſecundum *Bodinum Lib. 1. de Rep. c. 8.*) nec Legibus, nec tempore definiri poteſt. Jam verò hoc de Rege dici nequit, ſi populi poteſtas major ſit Regis poteſtate. E. ſequitur, quod Rex, ſecundum hanc falſam *ſententiam*, non habeat Majeſtatem, quod eſt abſurdum. Argumentor:

1) Abſurditas.

C

Qvi-